



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

IXI. Sanctos esse inuocandos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

& Paulo: *Sicut, inquit, nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus, atq; confidimus inter omnes labores istius vite ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos.* His accedant omnia testimonia, quæ afferemus pro sequenti conclusione; nam qui dicunt Sanctos inuocandos, sine dubio fatentur eos orare pro nobis.

Probatur VLTIMO ex apparitionibus Sanctorum, qui aperte testati sunt, se orare pro nobis etiam in particulari. Scribit EUSEBIUS lib. 6. hist. cap. 5. S. Patamienam carnifici promississe, se cum ad Dominum peruenisset, aliquid ei boni impetraturam: deinde post tres dies à consummato martyrio carnifici per quietem apparuisse, atque eius capiti coronam imposuisse, pauloque post iuxta Martyris prædictionem, & ipsum ex impio carnifice piū Christi Martyrem effectum.

AVGVSTINVS libro de cura pro mortuis, cap. 16. *Non solum, inquit, beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus Confessorem apparuisse Felicem, cum à barbaris Nola oppugnaretur, audiuius non incertis rumoribus, sed testibus certis.* Alia id genus plurima vide apud Basilium in oratione de S. Mamante; Gregorium Nazianzenum oratione prima in Iulianum, & oratione de S. Casario; Gregorium Nyssenum in vita Gregorij Neocæsariensis; Theodoretum lib. 5. hist. cap. 24. Euodium, & Lucianum de inuentione, & miraculis S. Stephani; Ambrosium in serm. de SS. Geruasio, & Protasio, & serm. 90. de S. Agnete; Prudentium hymno de S. Fructuoso; Paulinum natali octauo S. Felicis; Sulpitium in vita S. Martini; qui omnes auctores ante mille annos floruerunt.

CAPVT XIX.

Sanctos esse inuocandos.

SEQVITVR QVINTA, ac postrema propositio. *Sancti, siue Angeli, siue homines pie, atq; vtiliter à viuentibus inuocantur.* Probatur PRIMO Scriptura, Genes. 48. Iacob sic ait, benedicens filiis Ioseph: *Angelus, inquit, qui eruit me de cunctis malis, benedicat*

dicat pueris istis. Hic apertè S. Iacob Angelum inuocauit. Item Iob 5. *Voca si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Vbi nomine Sanctorum intelligit Angelos, vt D. Augustinus exponit in annotationibus in Iob qui etiam illud, cap. 19. *Miseremini mei amici mei,* ad Angelos dici existimat, iuxta quod dicitur, cap. 33. *Si fuerit Angelus loquens pro eo vnus de millibus, miserebitur eis, & dicit libera eum.* Sicut etiam cap. 15. cum dicit: *Ecce inter Sancti eius nemo immutabilis.* Nomine Sanctorum intelligunt Angeli, nam idem habetur, cap. 4. his verbis: *Ecce, qui seruant ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem.* Quamuis autem hæc verba non videantur conuincere, quia non sunt ipsius scriptoris libri, sed Eliphaz amici Iob, tamen idè conuincunt, quia indicant tunc fuisse consuetudinem inuocandi patrociniū sanctorum Angelorum.

Item Exod. 32. Moses ita orat: *Recordare, Domine, Abraham, Isaac, & Israël seruatorum tuorum.* In quem locum scribens Theodoretus quæst. 67. in Exod. dicit sanctum Moysen, cum se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse etiam patrociniū Patriarcharum. Vbi notandum est, quia ante Christi aduentum Sancti, qui moriebantur, nō intrabant in cælum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinariè preces supplicantium, idè non fuisse consuetum in Testamento veteri, vt diceretur; Sancte Abraham ora pro me, &c. sed solū orabant homines eius tempore Deum, & allegabant merita Sanctorum, qui iam obierant, vt illis ipsorum orationes iuuarentur.

Respondet Calvinus, non peti eiusmodi verbis auxilium meritis Sanctorum, sed solū commemorari pactum, quod Deus cum Patriarchis fecerat de protegendis, & adiuuandis eorum posteris.

At solutio non satisfacit; nam & pactum Dei, & iustitiam Sanctorum simul commemorabantur, vt patet ex Psalm. 138. *Memento, Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Et infra: *Propter Dauid seruum tuum non auert a faciem Christi tui.* Quæ verba Salomonis sunt orantis Deum per meritum patris sui Dauidis iam defuncti, vt cōstat ex lib. 2. Paralipom. cap. 6. Vnde etiam lib. 3. Reg. cap. 15. dicitur: *Propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, & sic*

scitaret filium eius post eum, eo quod fecisset David rectum in oculis Domini. Et Daniel 3. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israël sanctum tuum.* Et Moses Exod. 34. Hieremias cap. 32. & alij, cum orabant Deum, initio dicere solebant: *Deus, qui facis misericordiam in millibus his, qui diligunt te*, id est, qui propter iustitiam Patrum misereris sæpe filiorum. quod erat implorare merita veterum iustorum. unde etiam B. A. V. G. V. S. T. I. N. V. S. quæst. 149. in Exodum, sic ait: *Admonemur, inquit, cum merita nostra nos grauant, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit.* Idè docet Chrysostomus homil. 42. in Genes. & 27. in Matth.

Præterea in vtroque Testamento sæpe legimus viuentes à viuentibus inuocatos; nam lib. 1. Reg. caput 7. dicunt filij Israël ad Samuelem: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut saluet nos de manu Philistinorum.* Itè Iob ultimo: *Ite ad seruum meum Iob, ille orabit pro vobis.* Rom. 15. Paulus ait: *Obsecro vos, fratres, ut adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.* Idem repetit Ephes. 6. 1. Thessal. 5. 2. Thess. 3. Colof. 4. & Hebr. 13. ergo licebit etiam nunc inuocare eosdem Sanctos cum Christo regnantes. Nam si nunc non licet, vel quia nolunt; & hoc non, cum sint maiori caritate præditi, quàm antea, & (vt loquitur Cyprianus sermone de mortalitate) de sua immortalitate securi, & de nostra incolumitate solliciti: vel quia non possunt; & hoc non, quia si poterant cū hîc essent peregrini, quantò magis nunc poterunt in patria? vel quòd non sciant quid oremus; & hoc non, quia vnde sciunt Angeli conuersionem peccatorum, pro qua tantoperè gaudet in cœlis, vt dicitur Lucæ 15. inde sciunt Sancti nostras preces: vel demum quia fit iniuria Deo, aut Christo, si alius, quàm ipse, inuocetur; & hoc non, quia tunc non liceret viuentes inuocare.

Atque hoc argumentum aduersarij nunquam soluere poterunt. Calvinus enim solùm responderet, aliam esse rationem inuocationis viuorum & mortuorum, quia viui omnes subnixi vna Christi intercessione tã pro se, quàm pro aliis Deum rogant, quia sunt inuicem membra; & quia Scriptura hortatur, vt oremus pro inuicem, Iacobi 5. at hoc idem de mortuis dici potest; nam & illi sunt membra eiusdem Ecclesiæ, & vna Christi

HHH h h h

Christi

Christi intercessione nituntur; quidquid enim nobis petunt, à Deo per Christum petunt.

Probatur TERTIO ex Conciliis, ac primùm in epist. Episcoporum Europæ scripta ad Leonem Imperatorem, quæ habetur post Concilium Chalcedonense, sic dicitur: *Sandissimum verò Proterium in choro, & ordine sanctorum Martyrum ponimus, & eius intercessione misericordem, ac propitium Deum habere postulamus.* Et act. II. Concilij Chalcedonensis, dicunt Patres: *Flavianus post mortem vivit, Martyr nobis oret.* Deinde in VI. Synodo generali, cap. 7. ex canonicis recens editis, sic dicitur: *Solo Deo creatore adorato, necet Christianus Sæctos, & pro se intercedere apud maiestatem divinam dignetur.* Item VII. Synodus generalis act. 6. in fine *Cum timore,* inquit Synodus, *omnia agamus postulantes intercessionem incontaminata Deipare, item sanctorum Angelorum, omniumq; Sanctorum.* Item in Concilio Gerundensi cap. 3. Aurelianensi I. can. 29. Moguntino sub Carolo Magno cap. 33. Toletano V. cap. 1. & Toletano VI. cap. 2. & Bracarum II. cap. 9. indicuntur litanie recitandæ vel triduo ante ascensionem, vel aliis temporibus. sunt autem ista Concilia fere omnia celebrata ante annos fere mille. His accedat factum Gregorij, qui litanias indixit tempore pestis. lib. 1. vitæ eius cap. 42. & Walfridus Strabo, cap. 28. testes sunt.

SEDFortè obiicient, litanias hîc vocari solùm Kyrie eleison, Christe eleison; id enim vocant litaniam Græci, ut patet ex Basilio epist. 63. & ex liturgia ipsius Basilij, & Chrysostomi.

RESPONDEO, in Conciliis prædictis litanias vocari illas ipsas inuocationes Dei, & Sanctorum, quas nos modò vocamus litanias; nam in primis Walfridus Strabo libro de rebus Ecclesiasticis, cap. 28. declarans, quid sit litania, de qua agitur in his Conciliis, & nominatim in Concilio I. Aurelianensi dicit esse Sanctorum inuocationem. Deinde tunc dicebantur litanie triduo ante ascensionem, & dicebantur non stando sed ambulando, & circumeundo aliqua loca: at nûc videmus seruari idem tempus, & eundem ritum; ergo eadem sunt litanie omnino.

Probatur QUARTO testimoniis Græcorum & Latinorum Patrum. Ex Græcis primus prodeat S. DIONYSIVS Areopagita, qui cap. 7. Eccles. hierarch. *Nam profecto,* inquit

idem fit, ac si quis sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulet. sic impossibilium superflua spe ille suspensus est, qui Sanctorum flagit at preces, & natura ipsorum consentaneas sacras operationes abigit, &c.

S. IRENAEVS lib. 5. contra haereses vltra medium: Et sicut illa (Eua) seducta est, ut effugeret Deum, sic haec (Maria) suaesa est obedire Deo, & Virginis Eua, Virgo Maria fieret aduocata. Quid clarius?

EVSEBIVS lib. 13. praeparationis Euangelicae, cap. 7. Haec nos, inquit, quotidie facitamus, qui vera pietatis milites, & Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur.

ATHANASIVS sermone in Euangelium de sanctissima Deipara, id est, de annunciatione, circa finem: Inclina, inquit, aurem tuam (Maria) in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui. Et infra: Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo. Et infra: Intercede hera, & domina, & regina, & mater Dei pro nobis.

BASILIVS oratione in 40. Martyres: Qui aliqua, inquit, premitur angustia, ad hos confugiat; qui rursus latatur, hos obret, ille & a malis liberetur, hic & duret in rebus letis. Ident oratione in Psal. 33. in illud; Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: Sancta, inquit, spirituales virtutes (Angeli) aliqua, oculi dicuntur, quod curam susceperint nos interuifendi: nonnulla aures, & quae nostras excipiunt preces.

GREGORIUS Nazianzenus oratione in Cyprianum, in ipso medio, loquens de quadam sancta Virgine, quam Cyprianus tunc Ethnicus, & magus per daemone[m] ad stuprum sollicitabat: Virginem Mariam, inquit, rogauit, ut periclitanti Virgini opem ferret. Et infra: Vicit Virgo, vincitur daemone[m], &c. Idem in fine Cyprianum inuocat, sicut etiam fecit in fine orationis in Basilium, & in fine orationis in Athanasium, ubi sic ait: Tu autem es supernis propitius nos respice, & populum hunc sanctum dirige, & nos in pace quidem foue, & compasce, in certamine autem dirige, & suscipe, & cum te ipso statue, & iniquitates sunt & tu, etiam si magna sit peccata.

CHRYSOSTOMVS homil. 66. ad populum, circa finem: *Nam, inquit, & ipse qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulcra, & fastu deposito stat Sanctis supplicaturus, & pro se apud Deum intercedat, & scenarum fabricum, & piscatorem & protectores orat qui diademate redempti incedit.* Idem hortatur ad supplicandum Sanctis homil. 3. & 8. in Matth. homil. 43. in Genes. homil. 1. in priorem Theodoretum. in Iuuentium, & Maximum, & alibi.

GREGORIUS Nyssenus oratione in S. Theodorum, circa finem: *Intercede, inquit, ac deprecare pro patria apud communem Regem & Dominum. Timemus afflictiones, exspectamus pericula. non longè absunt scelesti Scytha bellum aduersum nos parturientes. & miles propugna pro nobis, & Martyr pro conseruis & tere libertate loquendi.* Et infra: *Quod si manus etiam opus fuerit deprecatione & aduocatione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, & cum omnibus & una deprecare admone Petrum, excita Paulum, Ioannem item Theologum, ac discipulum dilectum, &c.*

S. EPHRAEM in sermonibus de laudibus sanctorum Martyrum: *Precamur, inquit, beatissimi Martyres, qui pro Domino saluatore, proq; illius caritate spontè & impigre tormenta sensistis, atq; ideo familiaris Domino coniuncti estis, & pro nobis miseris & peccatoribus, & de negligentia & squalore presentibus, Dominum interpellare dignemini, & superueniat in nos gratia Christi, &c.*

CYRILLVS catechesi 5. mystagogica: *Cum hoc sacrificium offerimus, facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos dormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, & Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras, &c.*

THEODORETVS in historia sanctorum Patrum, singulari vitasita concludit: *Ego autem huic narrationi finem imponere rogo & quaeso, & per horum intercessionem diuinum consequi auxilium.* Multa item habet de inuocatione Sanctorum lib. 8. ad Græcos, qui est de Martyribus.

DAMASCENVS lib. 4. de fide, cap. 16. *Per eos (Sanctos iam defunctos) demones abiguntur, infirmi curantur, cæci videntur, leprosi mundantur, tentationes & tristitia solvuntur. omne*
donum

donum bonum à patre luminum per eos, iis qui inhaſitabili ſi-
de petunt, deſcendit.

THEOPHILACTVS in cap. II. ad Hebræos: *Iam nunc,*
inquit, *arrabonem, & pignus honoris habent* (Sancti in cœlo)
Vnde alijs eis poteſtas eſſet, *Et ſuccurrere queant inuocanti-*
bus ſe? Vnde iſtis, quod ſiduciam habent intercedendi.

Iam ex Latinis. S. CORNELIVS Papa in epiſt. I. quæ eſt de
translatione corporum Apoſtolorum: *Orâtes, inquit, Deum*
& Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, Et intercedentibus ſan-
ctis ſuis Apoſtolis maculas veſtrorum purget peccatorum, &c.

S. HILARIUS in Pſal. 129. *Interceſſione, inquit, Angelorũ*
non natura Dei indiget, ſed infirmitas noſtra. miſi enim ſunt
propter eos, qui hereditabunt ſalutem, Deo nihil ex his que a-
gimus ignorante, ſed infirmitate noſtra ad rogandum & pro-
merendum ſpiritualis interceſſionis miniſterio indigente.
Similia etiam dicit de interceſſione ſanctorum Apoſtolorũ,
& Prophetarum in Pſal. 124.

AMBROSIUS libro de viduis, vltra medium: *Obſecrandi*
ſunt Angeli, qui nobis ad preſidium dati ſunt, Martyres obſe-
crandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore pa-
trrocinium vendicare. poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui
proprio ſanguine, etiam ſi qua habuerunt peccata lauerunt.
Iſti enim ſunt Dei Martyres, noſtri preſules, ſpeculatores vita
actuumq; noſtrorum. non erubeſcamus eos interceſſores noſtra
infirmitatis adhibere, quia ipſi infirmitatem corporis, etiam
cum vincerent, cognouerunt. Item lib. 10. in Lucam exponēs,
cap. 21. *Mortuis Regibus, inquit, in perpetuum Martyres re-*
gnum cœleſtis gratia honore ſuccedunt, & illi ſiunt ſupplices,
hi patroni.

S. HIERONYMVS in epitaphio Paulæ circa finem: *Vale,*
inquit, *ô Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationi-*
bus inua. fides, & opera tua Chriſto te ſociât, præſens facilis,
quod poſtulas, impetrabis.

S. MAXIMVS in ferm. de S. Agnete: *Itaque, inquit, ô ſplen-*
dida Chriſto, pulchra Dei filio, & omnibus Angelis, & Arch-
angelis grata, Et noſtri meminiffe digneris, quibus poſſumus
precibus exoramus.

RUFFINVS lib. 2. hiſt. cap. 33. *Circuibat* (Theodoſius) *cum*
ſacerdotibus & populo omnium orationum loca, ante Marty-
rum,

HHHhh 3

rum, & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi sibi Sanctorum intercessione poscebat.

S. PAVLINVS in fine carminis Panegyrici de S. Celso:

*Celso iuua fratrem socia pietate laborans,
Vt Vestra nobis sit locus in requie.*

Et in epistola 12. ad Seuerum inferens quædam carmina S. Claro, sic ait:

*Qualibet in regione poli situs aut paradisi,
Clare sub æterna pace beatus agis.
Hac peccatorum bonus accipe vota rogantum,
Vt sis Paulini, Therasiæq; memor.*

PRVDENTIVS eodem tempore plurima scripsit carmina de Sanctis, in quibus eos inuocari à viuentibus docet. Proteramus loco exempli pauca. In carmine de S. Laurentio, sic ait:

*Quod quisq; supplex postulat,
Fert impetratum prosperè.
Et tristis haud illius redit.
Ceu præsto semper adsies,
Tuosq; alumnos &rbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.*

Item in Hymno de S. Cassiano:

*Audit, crede, preces Martyr prosperrimus omnes,
Ratasq; reddit quas videt probabiles.*

Item de S. Hippolyto:

*Hippolyta scio me debere, Deus cui Christus
Posse dedit, quod quis postulet, annuere.*

S. AVGVSTINVS tractat. 84. in Ioan. Ideò quippe ad ipsam mēsam, inquit, non sic eos (Martyres) commemoramus, quæ admodum alios, qui in pace requiescunt, et etiam pro eis oramus, sed magis, et ipsi pro nobis orant. Item serm. 17. de verbis Apostoli: Habet, inquit, Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt, cum Martyres eo loco recitant ad altare Dei, non pro ipsis oratur, pro ceteris autem defunctis oratur. Insuper est enim pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari. Item libro de cura pro mortuis, cap. 4. Non vero deo, inquit, quod sit adiumentum mortuorum prorsus sepelendis corporibus apud memoriã Sãctorum locus, nisi ad hoc

Et dum recolunt ubi sint reposita eorum, quos diligunt corpora, eisdem Sanctus illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent.

S. VICTOR Vticensis lib. 3. de perseq. Wandalica, circa finem: *Adestote, inquit, Angeli Dei, deprecamini Patriarcha, orate S. Prophetas, estote Apostoli suffragatores, precipue tu Petre beate, quare siles pro ouibus, & agnis à communi Domino magna tibi cautela, & solitudine commendatis? Tu S. Paule Gentium magister cognosce quid Vandali faciunt Ariani, & filij tui gemunt lugendo captiui, & inuersiq; ingemiscite simul pro nobis Apostoli.*

S. FVLGENTIVS in sermone de laudibus B. Mariæ: *Ideo, inquit, omnes cursus natura Virgo Maria in Domino nostro Iesu Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus feminis subueniret.*

S. LEO ferm. 5. de Epiphania: *Confirmate, inquit, amicitias cum S. Angelis, & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusq; sociamini. horum diuitias concupiscite, & per bonam emulationem ipsorum ambite suffragia. Vide eundem in sermonibus de anniuersario suæ assumptionis, & de sanctis Petro & Paulo, & Laurentio.*

S. GREGORIUS lib. 2. Dialogorum, cap. vlt. in fine: *Vbi, inquit, in suis corporibus SS. Martyres iacent, dubium Petre non est, quod multa & valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & pura mente querentibus innumera miracula ostendunt. sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, & trumne ad exaudiendum ibi presentes sint, ubi constat, quia in suis corporibus non sint, ibi necesse est eos maiora signa ostendere, ubi de eorum presentia potest mens infirma dubitare. quorum Verò mens in Deo fixa est, tantò maius habet fidei meritum, quanto illic eos nouit, & non iacere corpore, & tamen non desse ab exauditione.*

S. GREGORIUS Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum, cap. 94. *Cyprianus, inquit, beatissimus Carthaginensis & antistes, & Martyr, salutem sepius infirmis supplicantibus prestat.*

S. BEDA lib. 4. in Cantica, circa finem: *Sed & cauernam maceria, inquit, cito & volatu petamus, id est, Sanctorum & Angelorum, & hominū crebras pro nobis intercessiones apud*

*misericordiam p̄i conditoris quaramus. hac sunt etenim fir-
missima, ac tutissima S. Ecclesia presidia. Idem habet lib. 3. in
Matth. in illud cap. 15. Qui non respondit ei verbum: Sancto-
rum, inquit, sunt petenda suffragia, Et ipsi supplicent pro Ec-
clesia.*

*S. ANSELMVS in libro de excellentia B. Virginis Mariae
cap. vlt. Rogamus, inquit, te domina per ipsam gratiam, qua
te pius, & omnipotens Deus sic exaltauit, & omnia tibi secum
possibilia esse donauit, quatenus id apud ipsum nobis impetret,
& obtineas, Et plenitudo gratia, quam meruisti, in nobis
operetur, quo participium beati pramij nobis misericorditer
quandoq; donetur.*

*B. BERNARDVS ferm. 2. super Euangelium, Missus est: In
periculis, inquit, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita,
Mariam inuoca. non recedat ab ore, non recedat à corde, & si
impetres eius orationis suffragium, nõ deseras conuersationis
exemplum. ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non despe-
ras, ipsam cogitãs non erras. ipsa tenente non corruis, ipsa pro-
tegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia per-
uenis, & sic in temetipso experiris, quãmeritò dictum sit, &
nomen Virginis Mariae.*

*Ex his 30. antiquis, & doctissimis Patribus, soli sunt quin-
que Gregorio posteriores; ex quo apparet, quã illustre fue-
rit mendacium Philippi, qui ante Gregorium ignotam fuisse
scripsit Sanctorum inuocationem.*

*Probatur QUINTO ex miraculis B. Bernardi factis contra
hanc hæresim. scribitur enim lib. 3. vitæ eius, cap. 5. quòd cum
S. Bernardus apud Tholosam contra hanc ipsam hæresim
prædicaret, populorum turbis offerentibus panes, vt eis vit
sanctus benediceret, benedicebat ille signo crucis edito his
verbis: In hoc scietis vera esse qua à nobis, falsa qua ab hereti-
cis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis, adepsi fu-
erint sospitatem. Et cum Episcopus Carnotensis, qui aderat,
diceret: Si bona fide sumpserint sanabuntur. B. Bernardus ad-
didit: Non hoc ego dixi, sed verè quicumq; gustauerint, san-
buntur, Et veros nos & veraces Dei nuncios esse scietis. Et sub-
iungit auctor: Tam ingens multitudo languentium gustato
illo pane conualuit, Et per totam prouinciam verbum hoc di-
uulgaretur.*

NOTA.

NOTA, miracula ista non esse facta propriè ad probanda merita B. Bernardi; nam ipse disertè dixit, vt sanarentur egroti, si vera erant, quæ prædicauerat: & ne fortè tribuerentur fidei, & deuotioni populorum, addidit, omnes sanandos qui inde gustassent, siue cum fide, siue sine fide, vt nimirum totum miraculum referretur tanquam ad finem, ad confirmationem veritatis: Ergo cum sint facta innumerabilia miracula ad hanc nostram sententiam confirmandam, aut ipsa vera est, aut Deus testis fuit falsitatis.

Accedant POSTREMÒ infinita miracula, quibus Sancti sapissimè demonstrarunt, se audire preces viuentium, & posse ac velle eos iuuare, à quibus inuocantur. Vide de his miraculis epistolam Nili recitatam in VII. Synodo, act. 4. Theodoretum in historia lib. 5. cap. 24. & lib. 8. ad Græcos. Ambrosium serm. 90. qui est de S. Agnete. Augustinum lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 8. Gregorium Turonicum in libris de gloria Martyrum & Confessorum. Gregorium Romanum libro 3. Dialogorum, cap. 22. 24. 25. & 37. Bonauenturam in vita sancti Francisci.

Ex his colligi potest, quàm sint leues hæreticorum responsiones, quas adhibent ad loca Patrum à nobis citata; nam Magdebürgenses Centur. 4. cap. 4. inconstantissimè loquuntur; nunc enim agnoscunt esse Patrum testimonia, sed dicunt eos errasse, nunc verò dicunt à maligno spiritu esse inserta in operibus tantorum virorum, quod tamen non aliter probant, quàm quia Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 12. & Epiphanius in hæresi Colliridianorum, dicunt solum Deum esse adorandum. Nec aduertere volunt eos Patres loqui de adoratione, quæ soli debetur Deo, in quo sensu etiam nos factemur, solum Deum adorandum, cum quo tamen bene co-hæret, quod dicimus, Sanctos non vt Deos, sed vt amicos Dei inuocandos.

Porrò Brentius, cap. 24. Confessionis Wirtembergensis, omnia conatur eludere per figuram prosopopeiæ. dicit enim Patres in concionibus inuocare solitos esse nomina mortuorum, ac si viuerent, sicut interdum inter declamandum alloquimur cælum, vel terram, vel mortuos homines, quos tamen certè scimus non audire. At hoc figmentum in primis, si vllum haberet locum, solum haberet in testimoniis Basilij, Nazian-

Nazianzeni, & quorundam aliorum, qui inter concionandum Sanctos inuocauerunt. nullum autem haberet in testimoniis Dionysij, Irenej, Hilarij, Ambrosij, Chrysofomi, Augustini, & aliorum, qui vel docent Sanctos inuocandos, vel narrant, à quibus sint inuocati. Sed quod nec in testimonio Basilij, & Gregorij locum habeat, inde patet, quòd isti Patres ibidem pollicentur sibi, & aliis auxilium ex illa inuocatione, & miracula quæ facta sunt, satis ostendunt, non inanem pro popoeiam, sed petitionem efficacem esse inuocationem Sanctorum.

Iam Calvinus lib. 3. cap. 20. Instit. respondet, Patres voluisse quidem prohibere hanc superstitionem, sed non potuisse frangere impetum vulgi, id quod ostendit ex Concilio Carthaginensi III. cap. 23. vbi prohibetur, ne in precibus, quæ ad altare funduntur, oratio dirigatur ad alium, quàm ad Patrem. Ex quo vult Calvinus colligi, voluisse Patres eius Concilij saltem impedire, ne mysterium cœnæ profanaretur inuocatione mortuorum. Quod etiam confirmatur ex S. Augustino lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 10. vbi dicit, Sanctos non inuocari à sacerdote sacrificante.

Sed nimis infirmum est Caluini refugium; nam, quòd Patres non cupuerint prohibere inuocationem Sanctorum, patet ex verbis ipsorum iam citatis, vbi ipsi suadent, hortantur, docent, Sanctos inuocandos, & ipsi eos passim inuocauerunt, & in Conciliis à se celebratis eos inuocari præceperunt. Neque in Concilio Carthaginensi habetur vnum verbum de inuocatione Sanctorum, sed solùm præcipitur, ut oratio sacerdotis sacrificium offerentis dirigatur ad personam Patris, non Filij aut Spiritus sancti, quòd etiam modò seruamus, quamuis toti sacrificemus Trinitati.

Beatus etiam AUGUSTINVS solùm docet, ipsa prece, qua sacrificium offertur, non inuocari Sanctos, sed Deum, cui soli sacrificatur; nam quod in ipso sacrificio memoria fiat Martyrum, & inuocentur, vt pro nobis orent, idem Augustinus disertè docet tract. 84. in Ioan. & ferm. 17. de verbis Apostoli, &

Cyrillus catechesi 5. mystagogica, vt supra citauimus, & idem patet ex liturgia Chrysofomi, & aliorum veterum; nam in omnibus Sancti inuocantur.